



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

6 Quod tandem sit principium indiuiduationis in omnibus substantiis
creatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94135](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94135)

tio requirit fundamentum positivum, quod non potest esse sola natura specifica, ut ibi satis ostensum est. Tertium verò magis falsum est, per illasmet negationes, quibus (secundum Henric.) constituitur suppositum fieri naturam individuum: nam inde sequitur, vel Christi humanitatem non esse individuum, vel esse suppositum: utrumque autem error est. Sequela declaratur, nam cum in illa duplici negatione dicitur esse indivisum in se, & divisum à quolibet alio, vel hoc esse divisum à quolibet alio, significat, non esse alteri unitum, seu non esse in alio, & hoc vel non est de ratione naturæ substantialis individui, vel humanitas Christi Domini individua non est, aut esse divisum ab alio, (quod aperte Henric. sentit) remouet solum identitatem, & significat distinctionem à quolibet alia entitate, vel natura simili, & hoc modo illa duplex negatio non sufficit ad rationem suppositi, vel humanitas Christi Domini suppositum est: nullo ergo modo substantia, quacunque via eius ratio explicetur, ad individuationem naturæ pertinet.

IX.

Quin potius, loquendo etiam tertio modo in concreto ac formaliter de individuo naturæ specificæ, dicendum est, illud per se loquendo, non sumere individuationem suam à substantia, sed à natura. Sic enim dicunt Theologi, si tres personæ assumerent vnam humanitatem, fore vnum numero hominem, sicut nunc sunt vnus numero Deus propter vnam naturam diuinam: haberet ergo ille homo unitatem numericam ab individua natura. Et Christus Dominus nunc, in quantum est hic homo, est idem numero homo, qui esset, si in propria natura subsisteret, cum tamen persona & substantia sint valde diuersa à propria & connaturali tali humanitate: ergo individuationis huius hominis non ex substantia, sed ex natura sumenda est. Ratio verò est, quia individuum formaliter constituitur sub specie ratione naturæ, & non ratione substantiæ: unde fit, ut licet contingat substantiam esse specie vel genere diuersam: nihilominus, si natura sit eiusdem speciei, individuum vniuocè & propriissime contineatur sub tali specie, quam ob causam Christus est vniuocè homo cum alijs hominibus, & simili ratione, si natura sit eadem numero, est idem homo numero, etiam si substantia sit diuersa.

X.

Dixi autem, per se loquendo, quia hic se insinuat quæstio, an cum duplici natura possit esse idem numero individuum propter unitatem substantiæ: sic enim disputatur à Theologis, an, si Verbum diuinum assumeret duas humanitates, esset vnus homo vel plures. Nam ex dictis videtur sequi, fore plures numero homines propter plures numero humanitates, quia dictum est, individuationem concreti summi ex individua natura. Nihilominus tamen, ut in i. tom. 3. p. dixi cum D. Thom. ille simpliciter & communi modo loquendi diceretur vnus homo, non quidē per se ac formaliter, sed quasi materialiter ratione suppositi, ad eum modum quo dicitur vnus artifex, qui plures habet artes, non solum numero, sed etiam specie distinctas. Hæc autem vnitas diuersa est à precedente, quæ sumitur ex unitate naturæ, neque est vnitas individui formaliter contenti sub specie, ut argumentum probat, sicut etiam vnitas artificis habentis plures artes specie distinctas non est vnitas speciei contentæ sub genere, sed est vnitas materialis seu suppositalis, quæ censetur sufficere ad illum modum loquendi, propter realem, vel substantialem unionem plurium naturarum in vno supposito, quia nomen substantiarum significat naturam per modum per se stantis, ut latius dicto loco explicatum est.

XI.

Totius quæstionis conclusio.

Igitur ex his omnibus facis constat principium individuationis naturæ substantialis, aut individui, per illam constitui, non recte in substantia, vel existentia constitui.

SECTIO VI.

Quod eandem sit principium individuationis in omnibus substantiis creatis.



X hætenus dictis contra superiores sententias, videtur, quasi à sufficiens partium enumeratione, relinqui, omnem substantiam singularem, neque alio indigere individuationis principio præter suam entitatem, vel præter principia intrinseca, quibus eius entitas constat. Nam, si talis substantia, physice considerata, simplex sit, ex se & sua simplici entitate est individua: si verò sit composita, v.g. ex materia & forma unitatis, sicut principia entitatis eius sunt materia, forma, & vnio earum, ita eadē in individuo sumpta sunt principia individuationis eius, illa verò, cum sint simplicia, seipsas individua erunt. Quam sententiam tenuit Aureol. apud Capreol. in 2. d. 3. q. 2. & in eam tenet Durand. in 2. d. 3. q. 2. Eam verò referens Fonseca 5. Metaph. c. 6. q. 3. dicit in sect. 2. esse omnium implicatissimam, & quæ si ad verum sensum reducatur: quæstionē insolutā relinquit. Mihi tamen videtur omnium clarissima, & tam ipsam, quam fere alios in eam tandem incidere: quia reuera non potest fundamentū unitatis ab ipsa entitate distingui. Unde sicut vnitas individua pro formali non potest addere aliquid positiuū reale supra entitatem individuum, quia quoad hoc eadem est ratio de illa, & de omni unitate: ita positiuum fundamentum huius unitatis quoad negationem quam dicit, nihil positiuum addere potest, physice loquendo, illi entitati, quæ vna & individua denominatur: ergo illa entitas per seipsam est fundamentum huius negationis: & hoc sensu dicitur ab illa opinione se ipsa esse principium individuationis. Non enim negat hæc opinio, in illa individua entitate posse ratione distingui naturam communem ab entitate singulari, & hoc individuum addere supra speciem aliquam ratione distinctam, quod secundum Metaphysicam consideratur, nempe, habet rationē differentie individualis, prout in sectione precedente est, & Durand. non negat, sed potius supponere videtur. Sed tamē addit hæc opinio (id quod proprie ad presentem quæstionem pertinet) illam differentiam individualement non habere in substantia individua speciale aliquod principium, vel fundamentum, quod sit in re distinctum ab eius entitate, ideoque in hoc sensu dicit, vnamquamque entitatem per se ipsam esse suæ individuationis principium. Est igitur vera hæc sententia recte explicata: ut tamen clarius fiat, eam sigillatim in vniuersis rebus substantialibus declarabimus.

Per quid inducitur materia prima.

PRImò igitur à materia prima incipiendo dicendum est, illam esse in re individuum, & fundamentum talis unitatis esse entitatem eius per seipsam, prout est in re absque vilo extrinseco superaddito. Probat, quia materia, quæ est sub hac forma ligni, est numero diuersa ab illa, quæ est sub forma aquæ, vel hominis: est ergo in se individua, & singularis. Fundamentum autem talis unitatis in ea non est forma substantialis, neque ordo ad hanc vel illam formam, ut probatum supra est contra Durand. quia variata quacunque forma substantiali, semper manet eadem numero materia, quæ licet actu sit vnita huic, vel illi formæ, tamen ex se communem, & indifferentem habitudinem dicit ad quamcunque formam, quam potest recipere. Rursus, neque etiam quantitas potest esse fundamentum huius individui unitatis materia, ut idem probat argumentum, si verum est, materiā amittere, & acquirere quantitates variag

I.

II.

varias prout formæ substantiales variantur. Itē quia iuxta eandem opinionem materia prius natura, quā recipiat quantitatem, subest actioni agentis inducētis formam vel quantitatem: non autem subest nisi ut individua & singularis: quia actiones sunt circa singularia. Si autem teneamus eandem quantitatem esse materiæ coæquam, potest idem argumentum accommodari, saltem in ordine ad potentiam Dei: potest enim Deus ab hac materia hanc quantitatem auferre & aliam tribuere, vel omnino sine quantitate seruare: esset ergo eadem materia numero sine eadē numero quantitate: ergo non est quantitas fundamentum talis unitatis ipsi materiæ, alias nullo modo posset sine illa suam unitatem referuare. Et præterea sunt omnia argumenta communia supra facta, quod substantia non indiuiduetur per accidens, nec per ordinem ad accidens, materia enim substantia est ens per se. Item, quod accidens supponit subiectum suum prout est in re, & consequenter singulari. Item quod differentia individualis non est in re distincta ab entitate, quam constituit: unde nec potest fundari in entitate distincta.

III. Atque hæc rationes à fortiori procedunt de quibuscumque accidentibus, vel dispositionibus materiæ. Quocirca cum dici ab aliquibus solet, materiam indiuiduari ab agente, quatenus eius indifferentia ad hanc formam indiuiduatur & coarctatur per dispositiones, ut aliqua ratione verum sit, sano modo intelligendum est: quia agēs ut in materiam agat, supponit illam indiuiduam, & actione sua non potest tollere, aut immutare indiuiduationem ejus, alioqui destrueret illam, & loco ejus aliam introduceret; neque etiam fieri potest, ut quod in re iam indiuiduum est, per additionem alicujus entitatis aliam indiuiduationem in se accipiat. Dicitur ergo materia per dispositiones limitari, seu determinari ab agente ad hanc formam, non in ordine ad esse, sed in ordine ad actionem ipsius agentis, & receptionem formæ, idque vel solum per accidens, & quasi negatiue, quia per dispositiones tolluntur impedimenta ad hanc actionem, ad hujus formæ introductionem, vel etiam aliquo modo per se & positiue, si hæc dispositiones sunt naturaliter necessariæ ad educationem vel unionem hujus formæ cum hac materia, hoc enim controuersum est inter Philosophos, & ad præsentem difficultatem non refert, quia hæc coaptatio per dispositiones est quasi extrinseca ipsi materiæ, quæ etiam in indiuiduo sumpta ex se capax est cuiuscumque formæ, & si dispositiones requiruntur, potius est ratione formæ, quam ratione ipsius materiæ: nihil ergo hoc refert ad intrinsecam indiuiduationem ejus.

IV. Dices, materia hæc non distinguitur ab altera nisi per quantitatem, quia, cum sit pura potentia, non potest distingui nisi per actum. Item materia essentialiter respicit formam secundū speciem suam: ergo hæc indiuidua materia indiuiduari debet per formam, vel per habitudinem ad hanc formam. Ad primum respondetur, vnam materiam distingui ab alia in ordine ad situm per quantitatem, entitatiue vero & realiter distingui per suam entitatem, ut supra dictum est, quia, sicut materia ex se habet aliquid entitatis, siue existentie, siue essentie, ita ratione illius habet aliquid actualitatis entitatiue, per quam potest transcendentaliter ab alia distingui. Ad secundū respondetur, Eo modo, quo materia essentialiter habet transcendentalē habitudinem ad formam, ita hæc materia habet per hanc habitudinem transcendentalē ad formam, quia habet hanc numero capacitatem, & potentiam, & homo indiuiduatur per habitudinem ad formam: sed hoc ipsum est indiuiduari physice per se ipsam, quia ejus entitas essentialiter includit hanc habitudinem. Non est autem necesse, ut hæc indiuiduatio fiat per determinationem formæ (quo sensu deberet argumentum procedere,

ut aliquid difficultatis haberet) quia non solum materia in specie, sed etiam hæc numero materia respicit formam in communi, veluti adæquatum objectum suæ capacitatis, etiam in indiuiduo sumptæ, & ideo non recte dicitur materia indiuiduari per hanc formam, sed indiuiduari indiuiduata habitudine ad formam. Sicut potentia visus in specie dicit habitudinem ad colorem in communi, & in indiuiduo similiter dicit habitudinem non ad hunc vel illum colorem, sed ad colorem in communi, & ideo non indiuiduatur proprie per hunc colorem, quamuis indiuiduetur cum tali seu per talem habitudinem transcendentalē, & entitatiuam ad colorem.

Indiuiduationis formæ substantialis quoddam principium.

Secundū dicendum est, formam substantialem esse hanc intrinsece per suammet entitatem à qua secundum vltimum gradum, seu realitatem sumitur differentia individualis ejus. Hæc conclusio probari potest eisdem rationibus proportionalibus, quibus præcedens, & ex superioribus, præsertim ex his, quæ in prima & secunda opinione dicta sunt, facile confirmari potest. Nam in primis, nulla accidentia possunt esse intrinseca principia indiuiduantia formam substantialem, quia etiam talis forma, ut est hæc, est ens per se, licet incompletum, & pertinet ad prædicamentum substantiæ, & sub specifica ratione talis formæ collocatur, quauis reductiue. Item hæc forma, vel est simpliciter, & omniratione prior accidentibus, & origo illorum, vel, si aliqua supponit in genere causæ materialis, non dicit per se habitudinem ad illa, sed ad summum requirit illa ut conditiones vel dispositiones necessarias ad præparandū subiectum: ergo nullo modo potest ab accidentibus indiuiduari. Deinde materia non potest per se ipsam esse intrinsecum principium indiuiduandi vllæ formæ, quia non est intrinsecum principium entitatis ejus, idem autem est principium unitatis, quod est principium entitatis, ut sepe dictum est, quia unitas nullam rem addit entitati, sed negationem intrinsece comitantem illam. Antecedens autem patet, quia per suam entitatem componit illud, non sic autem componit entitatem formæ: non est ergo intrinsecum principium ejus. Respectu vero illarum formarum, quæ à materia pendent in fieri, & in esse, materia est causa per se in suo genere formæ, nō ut intrinsece componens illam, sed ut sustentans illam, quod est genus quoddam causalitatis veluti extrinsecum, & hoc modo materia dici potest causa & principium indiuiduationis talium formarum in suo genere ex principio posito, quod causa entitatis, est causa unitatis, & quia materia non causat formam, nisi singularem & indiuiduam: ergo causando entitatem, causat indiuiduationem ejus. Tamen quia differentia individualis intrinsece prædicatur de re indiuidua, ideo non sumitur ex causis quouis modo extrinsecis ipsius rei indiuiduæ, sed ex intrinseco principio seu entitate ejus, & ideo hoc modo non potest esse materia principium intrinsecum indiuiduationis formarum. Quod à posteriori declaratur in ordine ad diuinam potentiam: potest enim hæc forma substantialis conseruari sine materia, & tunc sicut retinet suam differentiam indiuidualem, ita etiam suam intrinsecum principium indiuiduationis: ergo non est materia hujusmodi principium intrinsecum. Hoc a manifestius est in anima rationali, in qua, sicut esse non causatur per se à materia, ita et neq. unitas, aut indiuiduatio, ut notauit D. Tho. cont. Gent. c. 75. in solutione primæ rationis, & c. 81. in principio: ergo materia non solum non est principium intrinsecum indiuiduationis animæ, verū etiam nec causa per se ejus.

ejus, quamuis sit veluti occasio quædam, vt organizato tali corpore, Deus in illo talem animam creet.

VI.
Dubium.

Sed difficultas est, an indiuiduetur saltem forma per materiam tãquam per terminum, ad quem dicitur habitudinem. In hoc enim videtur esse differentia inter materiam & formam, quod materia, quia eadem numero subsistat pluribus formis, non potest habere indiuiduam terminationem ex forma, quam respicit: at vero forma non habet eam differentiam, sed determinatur ad hanc materiam actuantem, & ideo indiuiduari potest ex hac materia, tanquam ex termino, ad quem dicitur habitudinem, vt talis forma est. Et ita opinantur Thomistæ communiter, itaq; intelligunt D. Th. locis supra citatis & aliis, vbi ait formam indiuiduari per materiam. Et eodem sensu exponi potest, quod ait, q. vnic. de anima, artic. 3. ad 13. principia indiuiduationis formarum non esse de essentia earum, sed hoc esse verum solum in cõpositis. Sed in primis ratio facta non habet locum in anima rationali, quæ eadẽ numero manens potest diuersas materias acturare. Primum enim simul ita actuat diuersas partes materiæ componentes idem corpus, vt tota sit in singulis partibus ergo non potest per cõaptationem ad totum corpus, & ad singulas partes eius indiuiduari. Sed magis vrget, quod successiue potest informare diuersas materias integras, vt quãdo per nutritionem continuam paulatim amittitur tota materia, in quam primum fuit introducta forma, & alia noua acquiritur, & eadem forma informatur. Itẽ ipsi nutritioni accidentarium est, q. his, vel illis cibis fiat, & tamen inde prouenit, quod anima hæc vel illa materiam postea informet, ergo hoc etiã illi est contingens, & accidentarium: non ergo inde indiuiduetur, nec de se est cõaptata ad hæc numero materiam.

VII.

Dicit fortasse aliquis, ex se postulare hæc animam, vt saltem in principio in tali materia introducat, licet postea possit illam relinquere & aliam informare; & hac ratione indiuiduari ab illa materia, in qua primò introducit. Sed hoc in primis gratis dicitur: nam, si eadem anima potest diuersis temporibus varias materias naturaliter informare, signũ est virtutẽ informatiuam, seu aptitudinem eius ad informandum non respicere vt ad æquatum terminum hanc numero materiam. Quo ergo fundamento dici potest ex se magis postulare vnã materiam in principio, quam aliam, vel magis intrinsecè respicere vnã, quam aliam? Alias eodem modo dici posset materia natura sua postulauisse, vt sub eis numero formis crearetur, sub quibus creata fuit, & ab illis fuisse indiuiduatam, quamuis potuerit postea sub aliis formis conseruari: sicut ergo hoc esset ibi gratis dictum, ita etiã sine fundamẽto dicitur de anima. Finge enim, illam materiam numero, quam proles per propriam nutritionem acquirit, & informat, fuisse prius sub forma sanguinis materni, ex quo in principio corpus eiusdem prolis formatum est, certe, sicut in illa materia postea per nutritionem disposita introduci potuit hæc numero forma, ita etiã, si in prima formatione disposita fuisset virtute feminis ex sanguine materno; similiter potuisset eadem forma naturaliter in eam introduci: nulla enim reddi potest philosophica ratio, cur non potuerit: ergo hæc anima etiã vt hæc, indifferens est ad plures materias informandas, siue in principio in productione, siue postea in conseruatione.

VIII.

Nec refert, si quis dicat, has materias conseruari, & eandem, quia paulatim fit mutatio sub dispositionibus; & organizatione eiusdem rationis: quia hæc vnitas materiæ vel corporis magis est secundum externam speciem, & apparentiam quam secundum veram ac phyficam entitatẽ corporis seu materiæ. Adde, quod licet contingeret, totam mutationem fieri per separationem integram vnus corporis, & coniunctionem alterius materiæ, nihilominus anima vtrumq; naturaliter informaret. Sicut

probabile est in resurrectione interdum euenturum.

Vt si contingat in hac vita, duas animas easdem omnino materias informasse, poterit alteri earum dari corpus ex alia materia, quod non minus conaturaliter informabit, quam, si ex priori materia constaret. Ergo signum est, hanc animam, vt aptam ad informandum nullo modo respicere determinatẽ hanc materiam, & consequenter non indiuiduari ab hac materia; vt est hæc, etiã vt a termino suæ habitudinis transcendentalis: quia nõ est terminus ad æquatum illius. Indiuiduetur ergo hæc anima per se ipsam, & ex vi suæ entitatis; & consequenter, quia intrinsecè habet talem indiuiduam aptitudinem ad informandum corpus humanum ad eum modum, quo paulo antea de habitudine materiæ dicebamus. Atq; ita in particulari de anima rationali docet Toleus lib. 3. de anima, q. 18. concl. 2. & 3. qui hoc confirmat argumento supra a nobis facto, quia in assignando indiuiduationis principio tistendum est in aliquo, quod per se indiuiduetur: ergo si materia vel quantitas dicantur per se indiuiduari, multo magis id est dicendũ de anima rationali, quæ per se est subsistens, & magis dat esse reliquis, quã recipiat ab eis. Corporũ ergo varietas est optimum signum a posteriori distinctionis animarum, quia est veluti occasio producendi diuersas animas, non est tamẽ proprium, & intrinsecum principium indiuiduationis earum.

Sed, an sit eadem ratio de omnibus alijs formis substantialibus, quæ a materia pendent in esse, non videtur posse argumentum nuper facto diiudicari, quia hæc forme ita informant hanc materiam numero vt omnino sint determinatæ ad illam informandam nec possint naturaliter aliam numero distinctã materiam informare, cum non possint ab hac separari, neq; simul, neq; paulatim, quod etiã procedit de animabus brutorum perfectiorum, si illæ extensæ sint, & diuisibiles; vt communis & fortasse probabilior tenet opinio (nam si indiuisibiles esse supponantur, procedet in eis argumentum factum de animabus rationalibus) recte igitur dici potest materialis forma substantialis esse hæc intrinsecè quidem per cõaptationem ad hanc numero materiam, per ipsam vero materiam, tanquam per terminum huius habitudinis. Sed nihilominus etiã in his materialibus formis hoc proprie dici non potest: quia, vel in hac numero materia includuntur dispositiones, quibus hæc materia ab agente præparatur ad hæc formam, vel intelligitur solum hæc materia prima secundum nudam entitatẽ eius: neutro autem modo id facis intelligi, aut explicari potest.

Primum patet, quia materia cum accidentibus non potest esse ratio indiuiduationis formæ, etiã vt terminus habitudinis eius, quia cum hæc habitudo sit transcendentalis & substantialis, non includit accidentia in suo primario ac per se termino. Item, quia, si supponamus non esse easdem dispositiones in genito, quæ præcesserunt in corrupto, procedunt argumenta supra facta, quod forma potius natura absolute & simpliciter informat materiam accidentibus nudam, informat autem illam vt indiuidua, & singularis est: ergo eodẽ modo respicit illam, secundum suam aptitudinẽ, & cõaptationem indiuidualem. Si autẽ supponamus, manere in materia dispositiones, quæ fuerunt in corrupto, sic etiã forma non informat materiam vt affectam accidentibus, licet illa præsupponantur velut conditiones necessaria, vel fortasse solum, quia relinquuntur ex præcedenti alteratione: ergo neque hæc forma vt hæc, recipit accidentia, sed materiam tantum. Eo vel maxime, quod licet variarentur hæc numero accidentia, vel paulatim naturaliter, vel simul supernaturaliter, & alia similia dentur, conseruabitur eadem numero forma in eadem materia, ergo nullo modo respicit hæc forma, vt est hæc, talia accidentia numero, vt ab eis indiuiduetur. Quin potius, licet daretur;

Notabile
Theologia.

IX.

X.

remus, hanc formam requirere hanc numero accidentia, non ideo esset ipsa forma talis in individuo propter accidentia, sed potius e contrario accidentia requirerentur talia propter talem formam, loquendo à priori & simpliciter, licet quoad nos, vel in ordine ad productionem, vel generationem tales dispositiones sint principium, vel occasio distinguendi formas.

XI. Secundum autem, scilicet, quod neque hanc materiam prima pure sumpta, possit esse hoc modo principium individuationis formam, probatur primo, quia hanc materiam potest esse communis multis formis, vel specie, vel numero diversis, ergo ut sic non est sufficiens principium individuationis formam, quia, quod de se commune est, ut sic non potest esse individuationis principium. Secundo ex parte ipsius formæ, quia licet hanc formam semel facta in hac, & ex hac materia, non possit esse in alia propter dependentiam quam habet ab illa, quæ dependentia talis est, ut nec forma illa possit naturaliter conservari sine illo genere causalitatis materialis, nec etiam sit aliqua via aut modus naturalis, quo possit hanc formam in aliam materiam transferri, ut ab illa conservetur: nihilominus tamen, si entitas talis formæ secundum se consideretur, non videtur eius aptitudo intrinseca determinata ad hanc numero materiam informandam, ita ut intrinsece sit inepta ad informandam naturaliter quamcumque aliam materiam numero distinctionem ab hac numero materia, etiam tanquam à termino suæ habitudinis, seu aptitudinis informationis. Probatur consequentia, quia non est hanc materiam terminus ad æquatus illius habitudinis, quandoquidem aptitudo huius formæ secundum se æque connaturaliter posset exerceri in alia, vel alia materia, si in qualibet poneretur. Nam quod per causas naturales solum ponatur in hac materia & non in alia, non tollit intrinsecam aptitudinem eius, neque facit, ut hanc materia sit ad æquatus terminus illius. Sicut fortasse est in universo aliqua portio materiæ, quæ semper fuit sub eadem numero forma, & semper erit, nec fortasse est via naturalis ad variandam illam, & non propterea aptitudo materiæ de se terminata est ad talem formam.

XII. Antecedens verò suaderi potest multis coniecturis, quæ communes sunt etiam animabus rationalibus. Prima, quia de potentia absoluta hanc formam transferri posset in aliam materiam, & illam informare, ergo signum est, esse in tali forma aptitudinem naturalem intrinsecam ad informandam illam, quantum ex ipsa est. Probatur consequentia, quia licet illa actio, seu transmutatio huius formæ à materia in materiam esset supernaturalis quoad modum, tamē terminus productus naturalis esset, compositum enim illud ex tali forma & materia naturaliter subsisteret. Secunda, quælibet alia materia numero distincta est capax quantum est ex se cuiuscunque formæ individue, etiam si contingat esse in alia materia numero distincta: sine fundamento enim existimaret quis capacitatem huius materiæ numero de se esse limitatam ad has formas potius quam ad illas, eo quod fortasse agentia naturalia secundum naturalem ordinem non possint efficere in ea eas individuas formas, quas in alijs materiis efficiunt. Quia cum materia de se sit pura potentia & indifferens, non potest ei conveniunt ratione attribui talis determinatio: illa ergo materia numero, quæ de facto est sub hac forma huius equi, quantum est ex se capax esset alterius animæ equi numero distincti, quæ de facto informet aliam materiam: ergo & e converso illa anima etiam est apta, quantum est ex se ad informandam hanc, vel illam materiam. Patet consequentia, quia potentia & actus naturalis sibi mutuo correspondet: unde potentia non respicit naturaliter, nisi actum illum, qui aptitudinem habet naturalem ad informandam illam.

Tertio quia, si hanc anima equina, verbi gratia, tantum esset apta ex se ad informandam hanc numero materiam, omnes animæ equinæ, quæ possent illam numero materiam informare diversis temporibus, haberent inter se aliquam convenientiam realem, quam non haberent cum manib. equinis informantibus alias materias, quia omnes illæ haberent aptitudinem ad informandam hanc numero materiam, quam aliz animæ equinæ informare non possent. Et idem argumentum fieri potest in omnibus formis aquæ, ignis, & similibus, quod scilicet sub eadem specie formæ ignis, v.g. detur quædam latitudo individuum respicientium hanc numero materiam tantum, & aliam latitudinem aliorum respicientium hanc numero materiam, & sic de alijs, atque ita sub conceptu specifico posset dari conceptus obiectivus substantialis, & communis multis individuis illius speciei, & non alijs, quod videtur absurdum, nam illa convenientia, cum sit realis & substantialis, erit etiam essentialis talibus formis, & consequenter species ultima erit divisibilis per plures differentias essentielles, quod involuit apertam repugnantiam. Verum hanc ratio magis est apparens quam efficax, quia potest habere nonnullas evasiones & difficultates, quas attingemus commodius disputat. sequent: tamen aliz rationes efficaces sunt, quas amplius confirmabimus, & declarabimus sect. seq. Restat igitur satis probata conclusio posita, quod intrinsecum principium à quo sumitur individualis differentia formæ substantialis, sit ipsamet entitas formæ, quatenus ex se habet talem aptitudinem ad informandam materiam, nam exclusæ sunt omnia extrinseca, vel distincta ab ipsa forma, quod ab eis individuari non possit, quo fit, ut forma non sit hanc, quia respicit hanc materiam, sed solum quatenus habet talem aptitudinem ad informandam materiam.

Substantiales modi quo principio individuantur.

XIV. Deo tertio: Modus substantialis, quia simplex est, & suo modo indivisibilis, habet etiam suam individuationem ex se, & non ex aliquo principio ex natura rei se distincto. Declaratur exemplis in vñione, verbi gratia, formæ ad materiam, vel materiæ ad formam, quam suppono ex infra dicendis esse modum substantialem. Item in substantia simplici, & idem esset de existentia, si esset modus realis essentialis ex natura rei distinctus ab illa. Itaque constat vñionem, quam nunc habet anima mea ad meum corpus, esse vnam numero, & individuum, tum quia est quid reale: & à parte rei existens, & distinctum ex natura rei ab anima, tum etiam, quia differt numero, & non specie à modo vñionis alterius animæ ad corpus suum, habet ergo suam individualement differentiam: ergo & intrinsecum aliquod principium, seu fundamentum eius: hoc ergo principium dicimus, nihil aliud esse posse, nisi entitatem ipsius modi qualiscunque illa entitas sit. Hoc autem probari potest primo rationibus generalibus factis, quod ita vnaquæque res est vna, sicut est, & quod negatio quam addit vñitas immediate fundatur in entitate rei secundum quod in se est: ac denique, quia vnaquæque entitas simplex se ipsa intrinsece talis est seu constituitur nostro modo intelligendi in suo esse, & consequenter etiam se ipsa distinguitur ab alijs. Secundo probatur excludendo alia principia huius individuationis: nam, si quæ essent, maxime esset hanc anima, vel hanc materia, respectu huius vñionis (ut inchoatum exemplum prosequamur, omitto autem accidentia, quia illa iam satis exclusæ sunt rationibus factis de materia & forma) sed hic modus non individuat proprie ex hac materia, & ex hac forma; quia licet hanc modus vñionis in individuo,

non

non possit esse in alia forma propter specialem identitatem realem, quam habet cum hac forma; neque etiam possit fieri, nec conservari in alia materia numero distincta, quia respicit hanc non secundum aptitudinem, sed secundum actualem quandam rationem, quæ adæquate terminatur ad hanc materiam, nihilominus tamen possent hæc anima & hæc materia uniri alia vnione numero distincta. Non enim est necesse, ut si vnio huius animæ & formæ nunc dissoluatur & pereat, & iterum rursus hæc materia, & hæc forma à Deo uniantur, eandem numero vnionem recipiant, quam antea habebant. Nam licet demus hoc posse fieri, de quo aliqui etiam dubitant, non est cur sit necessarium, quia in alijs modis figuræ, sessionis, aut similibus, non est necesse eosdem numero reproduci, imo id non est naturale. Possunt ergo illæ vniones numero distingui in eadem forma respectu eiusdem materiæ, ergo principium indiuiduationis eius non sumitur sufficienter ex hac forma, vel hac materia, ergo oportet, ut ex se habeat talis modus intrinsecum fundamentum suæ indiuiduationis, quamuis secundum illud respiciat hanc formam, & hanc materiam habitudine transcendentali: quia hæc est natura talis modi.

Compositi substantialis quod principium indiuiduationis.

XV.

Quartò dicendum est in substantia composita, ut tale compositum est, adæquatum indiuiduationis principium esse hanc materiam, & hanc formam inter se vnitas, inter quæ præcipuum principium est forma, quæ sola sufficit, ut hoc compositum, quatenus est indiuiduum talis speciei, idem numero censetur. Hæc conclusio sequitur ex præcedentibus, & ex dictis sectione 4. & est consentanea opinioni Durandi, & Toletii supra tractatis, & in re non dissentiunt Scotus, & Henr. nec Nominales omnes. Fonseca etiam non dissentit lib. 5. Metaph. qu. 5. quamuis dicat, impropiam esse locutionem cum dicimus, hanc materiam, & hanc formam esse principia indiuiduationis Physicæ, quia neq; forma hæc, neque hæc materia, neque ambæ simul addi possent naturæ specificæ hominis, ut cum ea constituent hunc hominem, & quia etiam hæc materia & hæc forma sunt indiuidua, ex suis naturis specificis, & propriis indiuiduationis principijs constituta. Sed in his rationibus diuertit à Physicæ ratione ad Metaphysicam compositionem, cum enim hæc materia, & hæc forma dicuntur principia Physicæ indiuiduationis huius compositi, non comparantur ad specificam naturam communem, sed ad Physicum compositum, quod componunt: & ideo non est necesse, ut addantur naturæ specificæ communi, sed ut component illam componendo indiuiduum, in quo illa includitur. Vnde secundum eandem Physicam constitutionem talia principia simplicia sunt, neque habent alia, quibus physice indiuiduantur, sed se ipsis indiuiduantur, ut declaratum est. Non est ergo impropria locutio, sed vera ac propria, quia eadem sunt principia indiuiduationis intrinseca, quæ sunt principia intrinseca entitatis, ut sæpe dictum est, quia indiuiduatio sequitur entitatem, ut est negatio quædam, ut autem includit positium, est ipsamet entitas, nihilq; illi addit, sed hæc materia, & hæc forma inter se vnite sunt intrinsece principia totius entitatis compositæ substantiæ, de qua agimus, ergo sunt etiam intrinseca principia Physicæ indiuiduationis. Et confirmatur, nam materia & forma absolute sumptæ sunt principia physica speciei substantiæ compositæ, & specificationis eius: ergo hæc materia, & hæc forma erunt principia physica indiuidui, & indiuiduationis eius. Et eodem modo concludi potest, neutram per se, sed utramque simul esse

hoc adæquatum principium. Quia hoc compositum ut omnino & complete sit idem numero, requirit non solum hanc formam, vel hanc materiam, sed utramque simul, & quacunque variata non manet simpliciter, & omni ex parte idem numero compositum, quod antea erat: quia aliqua ex parte variata est eius entitas, ergo materia & forma sunt adæquatum principium vnitatis numericæ totius compositi, ut tale est. Et confirmatur ratione facta, quia eadem sunt principia vnitatis, quæ entitatis: sed hæc materia & hæc forma sunt adæquatum principium intrinsecum huius compositæ entitatis, ergo & vnitatis, & indiuiduationis.

Atque hinc constat, etiam hanc vnionem eandem numero requiri ad perfectam vnitatem talis compositi, quia suo modo intrinsece concurrit ad constitutionem eius, entitas enim compositi non solum entitatem materiæ & formæ, sed etiam vnionem earum inter se intrinsece includit: ergo variata vnione in aliquo variatur entitas, & consequenter vnitas ipsius compositi: requiritur ergo ad perfectam vnitatem, & indiuiduationem: hæc ergo ratione posset etiam hæc vnio numerari in his, quæ complent perfectum indiuiduationis principium ipsius compositi. Non est autem ita necessaria, sicut materia & forma, quia hæc sunt simpliciter principia essentialia talis compositi, vnio vero est, quasi conditio requisita, seu causalitas materiæ ac formæ, ut dixi in 2.º tomo 3.º par. disput. 34. sect. 2. Comparando etiam inter se materiam & formam, præcipuum principium est forma, non tantum respectu naturæ specificæ, sumpta forma in specie, sed etiam respectu huius indiuidui, sumpta forma indiuidua: quia hæc forma est maxime propria huius indiuidui, & quia illa est, quæ complet hanc numero substantiam integram, nam hæc materia solum inchoat illam, & quantum est de se non magis inchoat hanc quam aliam. Item quia hæc forma est præcipuum principium essendi, & consequenter est etiam præcipuum principium distinguendi hanc substantiam ab alijs, sed idem est principium vnitatis, quod est principium entis, & distinctionis eius ab alijs: ergo. Dices, formam esse principium distinctionis specificæ, quia facit differre formaliter, non ergo potest esse principium distinctionis numericæ, alias distinctio numerica esset formalis & essentialis. Respondetur, formam secundum suam rationem specificam & essentialem facere differentiam specificam, & essentialem, formam vero indiuiduam secundum entitatem suam facere distinctionem entitativam, & numeralem. Petrus enim & Paulus magis differunt inter se numero, quia habent animas numero distinctas, quam quia habent distincta corpora. Atque ex his patet vltima pars conclusionis, quæ satis etiam probatur ex communi modo loquendi, quem supra notauimus, simpliciter enim censetur idem homo, non tantum secundum apparentiam, sed etiam secundum veritatem quia habet eandem numero animam, etiam si corpus mutatum sit. Ratio vero est, quia forma simpliciter censetur constituere speciem, & similiter hæc forma hoc indiuiduum sub tali specie.

Sed quæres, an differentia indiuidualis in rigore sumatur à completo principio, materia scilicet, & forma, an vero ab altero tantum: nam auctores videntur frequentius sentire, ab altero tantum sumi, nam, cum hæc differentia simplex sit, non videtur sumenda à toto composito, neq; à duplici principio partiali, sed ab vno tantum, quod simplex sit. Tamen differunt, nam quidam aiunt, illud principium esse materiam, ut Caiet. & alij, alij vero dicunt esse formam, ut Scotus, & in diem inclinat Durand. Et hoc posterius est verius, supposito priori fundamento, scilicet, quod differentia indiuidualis ab altero tantum ex his principiis sumenda sit. Loquimur autem de re ipsa secundum se, nam quoad nos, qui ex rebus

XVI.

illatum,

obiectis
soluimus.

XVII.

Quæstio.

Responsio.

mate-

SECTIO VII.

*Utrum principium indiuiduationis accidentium,
sit ex subiecto sumendum.*



N hac dubitatione iudem fere dicendi modi esse possunt, qui in præcedente sectione relati sunt: tamē quia eadem doctrina, quæ de formis substantialibus data est, ad accidentales est proportionaliter applicanda, ideo breuissime potest hæc res expediri, addendo pauca, quæ sunt propria accidentium. Supponimus ergo ex dictis in sect. 2. in formis accidentalibus necessarias esse differentias indiuiduales, quas indiuidua formæ addant rationibus specificis, à quibus saltem ratione distinguantur, nam doctrina ibi data generalis est, & rationes factæ de omnibus speciebus, & indiuiduis procedunt. Vnde fit, loquendo de principiis Metaphysicis constituentibus & distinguētibz res, nullam relinqui quæstionem circa principium indiuiduationis accidentis: est enim in eis differentia indiuidualis, quæ in vnoquoque propria est, & contrahit speciem ad esse talis indiuidui. Solum ergo restat quærendum, quodnam sit physicum fundamentum & principium huius differentia, & hoc sensu inuestigamus hîc principium indiuiduationis accidentium, sicut de substantiis diximus. Et ideo nulla nobis est hoc loco controuersia cum Scoto, qui suis hæcceitatibus (quæ nihil aliud sunt, quam differentia indiuiduales) quæstionem hanc terminandam esse censuit nos enim etiam admittimus differentias illas, tamen ulterius inquirimus physicam radicem earum differentiarum.

Dux igitur opiniones tantum hîc referri possunt. Prior est, accidentia indiuiduari per subiectum. Itā docet D. Thom. 1. part. quæst. 29. art. 1. & quæst. 39. art. 3. & opusc. 29. in fine. Sed quod lib. 7. art. 19. limitat hanc sententiam, dicitque esse veram in aliis accidentibus præter quantitatem, quam dicit non ex subiecto, sed ex situ indiuiduari, reliqua vero accidentia ex subiecto, saltem ex quantitate. Vnde infert, quamuis possit quantitas indiuidua conseruari à Deo sine subiecto, non tamen albedinem, aut reliqua accidentia quæ necessario requirunt subiectum, saltem quantitatem ipsam, ut fiant indiuidua. Hincque docet D. Tho. sepe non posse dari duas albedines separatas & solo numero distinctas, quia non haberent per quod distinguerentur, 1. part. quæst. 50. art. 4. & quæst. 75. artic. 7. Idemque docet ac defendit Capreol. in 1. dist. 54. art. 2. conclus. 2. Fundamenta huius sententiæ sunt eadem, quæ superius allata sunt ad probandam, formam substantialem indiuiduari à materia signata. Et confirmatur primò, nam accidens habet totum suum esse in ordine ad subiectum: ergo indiuiduationem habere debet à subiecto, nam vnàquæque res indiuiduari debet ex eisdem principiis, à quibus habet esse. Secundò, quia si accidentia non indiuiduantur à subiecto, possent plura accidentia solo numero diuersa in eodem subiecto recipi, quia non obstante indentitate subiecti habere possent inter se distinctionem, vnde nulla posset ratio huius repugnantia assignari, videmus autem, non posse idem subiectum duas albedines, vel duos calores recipere: tota ergo ratio huius est, quia à subiecto indiuiduantur; & ideo hoc ipso, quod in eodem subiecto recipiuntur, sunt vnum, & non duo.

Secunda opinio est, vnàquamque formam accidentalem physice indiuiduari per se ipsam, ut est talis entitas actu, vel aptitudine, neque habere aliud intrinsecum principium indiuiduationis, præter suam entitatē. Itā sumitur ex opinione Durandi supra tractata; & omnes rationes, quas adduximus de forma substantiali, probant idē de forma accidentali.

Et

III.

Aliorum opinio.

materialibus cognitionem sumimus, sepe distinctio indiuiduorum ex materia sumitur, vel ex accidentibus, quæ materiam consequuntur, ut sunt quantitas & alia proprietates: at vero secundum se, sicut differentia sumenda est à principio substantiali, & non ab accidentali, ita inter ipsa substantialia principia, ab eo sumenda est, quod præcipuum est, & magis proprium, ac vltimum constitutum ipsius rei: huiusmodi autem est forma, ut ostensum est. Item est hoc verum, loquendo de indiuiduo talis naturæ vel speciei, prout formaliter in ea constituitur. Propter quam rationem supra diximus, suppositum esse vnum numero, si vnā numero habeat subsistentiam; etiam si natura vna non sit, quia formale constitutum suppositi est subsistentia incommunicabilis, à qua sola sumenda est ratio indiuidualis suppositi ut sic: è contrario vero diximus, vnitatem ac differentiam indiuidualem rei singularis, ut constituta sub tali specie, vel essentia substantiali, sumendam esse ex natura substantiali, quæ formaliter constituit tale indiuiduum. Ad hunc ergo modum dicimus in præfenti, differentiam indiuidualem huius hominis formaliter sumpti ut indiuiduum est speciei humanæ, sumi ex hac anima. At vero, si loquamur de hoc composito, ut perfecte, & omni ex parte vnum est, verius dicitur, differentiam indiuidualem eius sumi, ex tota entitate eius, atque adeo ex adæquato principio physico, quod materiam, & formam includit, ut hoc modo etiam de toto illo composito veritetur, per se ipsum, seu per suam entitatem indiuiduari: nam per illam habet identitatem simpliciter in se, & diuersitatem ab omni alio. Neque est inconueniens, quod differentia, quæ secundum conceptum Metaphysicum simplex est, id est, non composita ex genere & differentia, sumatur ex entitate seu natura physice composita; quatenus vna est, & per modum vnius indiuiduæ naturæ concipitur.

Vltimo ex dictis satis constat, quid dicendum sit de substantiis immaterialibus, in quibus differentia etiam indiuiduales inueniuntur, ut ostendimus: vnde, cum in eis non sit, nisi simplex substantialis entitas completa, constat in eis non posse esse aliud principium indiuiduationis præter ipsam vniuersiūque rei entitatem, quæ ex se talis est, & per se ab aliis distinguitur. Et in hoc omnes conueniunt qui has substantias indiuiduas esse fatentur, quacunque ratione declarent indiuiduationem earum. Qui autem dicunt, de se conuenire tali naturæ specificæ spirituali, multo magis, & à fortiori docent per suas entitates indiuiduari, ut patet ex Capreol. in 2. dist. 3. Caieran. & aliis 1. part. quæst. 3. art. 3. quæst. 50. art. 4. Soncin. 12. Metaphysic. quæst. 49. Iaue. quæstion. 25. Ferrar. 1. contr. gent. capit. 21. Qui vero censent etiam in rebus immaterialibus indiuiduationem fieri per additionem differentia, necessario etiam docent, illam esse sumendam ab ipsa entitate substantiali Angel. secundum se; quia nec sumenda est ab accidentibus, neque est aliud, vnde sumi possit; quæ omnia satis probata sunt ex dictis. Argumentum autem vulgare, quod si hæc substantia per suas entitates differunt, necessario differant formaliter & essentialiter; iam est solum in simili de aliis formis. Nam illæ entitates quantumvis formales, possunt esse omnino similes in ratione essentiali; & tunc licet se ipsis distinguantur nihilominus distinctio est numerica, quia est in entitate, non in ratione formali. Dicuntur autem distinguere se ipsis, non quia similes non sint, sed quia vna ex se habeat, quod non sit alia, similitudo enim non excludit

distinctionem, ut infra dicitur.

Spirituales substantia complerem, quo indiuidui duntaxat.